



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XXXV. Manus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Sunt qui locum ex Genesi, *Et fecit eis tunicas pelliceas*, eo interpretentur hieroglyphico, ut mortalitate convellitos esse eos intelligi velint. Nam cutis omnino eos indicat, qui folis exterioribus intenti, interius emarcescunt. Apud Plutarchum libro de Iside & Osiride tympanum humanam sapit naturam, atque ideo mortalitatis hieroglyphicum est. Conficitur vero tympanum ex pelle, plana, Tympanum latoque circulo circumducta.

Invenies & pro Meretrice pelles positas Levit 15. *Vestem & pellem quam habuerit, lavabit aqua*, quem locum citat Hierosolymitanus Hefychyus, sententiæ hujus interpres. Jam & apud Romanos meretrices Scorta dicuntur, à scortis pellibus, quibus pro strato utebantur. Idem pellem pro Divitiis poni dicit, & pro cognatione alicubi.

**B** Lio significato pellis pro tentorio & castris ipsis ponitur: propterea quod vetusti moris fuit, tentoria ex confutis pellibus conficere. In Abacuntis cantico: *Pro iniquitate vidi tentoria. Ethio. Abac. c. 3. pis, turbantur pelles terra Madian, hoc est, Madianitarum castra vertentur in fugam, & dissipabuntur.*

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XXXV.

### DE IIS QUÆ PER MANUS ET PEDES SIGNIFICANTUR

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD JOAN. MANARDUM FERRARIENSEM.

**S**olima quidem ingenii amenitas tui, nunq, admodum eruditio, judiciumq, in omni disciplina-  
rum genere exactissimum acerrimumq, quibus te pradium superiorib, diebus animadverti, cum  
apud Caelium Caleagninum cœnaremus, effecere, ut doctissima illius cœna numquam immemor sim  
evasurus. Sed quoniam parum est gratum animi affectum in corde tacitum fovere, nisi ubi facul-  
tas datur, eum palam feceris, & in propatulum exposueris: cum nihil mihi commodius nunc ad meum  
erga te amorem explicandum occurrat, quam earum rerum commentarium, de quibus plurimus ea cœna  
sermo fuit, id quam primum ad te curavi transmittendum: tibi enim tu per abditissima Philosophorum ar-  
cana Medicorumq, sapientiam ingressus, nihil obscurum reliquisti, quod super pulsu, venis & arteriis quæ-  
risse, quamq, necessarium esset, Medici non modo cor, verum etiam manus ipsas eruditas esse, manifestissi-  
me docuisti: frustra enim esse mentis disciplinam, & scientiam, nisi eam manus opere facta comprobarent.  
Cumque medicamina plurima, quæ manibus tuis ipsemet confecerat recensuisses, opportune Vincentius Ca-  
pillus conviva noster lepidissimus acclamavit, Manardum te deniq, esse à manuum ardore divinitus ap-  
pellatum: itaque tunc manum Caelius, & alii, qui accumbebant omnes, suis quisque laudationibus in cœ-  
lum extulere. Ego vero aliam ingressus semitam, nihil à re, quæ præ manibus erit, abscedens, eadem hæc,  
quæ nunc descripta ad te legenda misi, ad verbum propemodum manu super declamavi: quæ quidem si  
legenti tantum placuerint, quantum audienti probari videbantur, minime putabo me oleum & operam  
perdidisse sperans scilicet inde aliquid futurum, quod in vitam hanc ex literis amicitiam apud posteros fa-  
ciat

ciat testatissimam. Neg. tu illa suppresses si recte diligentiam tuam perpenai, qua ad humani generis utilitatem paucissimis antea cognita referasti. Facit hoc idem Calius noster, qui quotidie aliquid de Musarum penetralibus eruit, & in promiscuum usum exponit, inde perpetuam sibi laudem, & amicis nomen comparaturus. Nosm vero hac qualiacumq; sint, si non utilia, uti vestratia, certe aliqua ex parte spero fore delictabilia. Tu igitur, quod auribus libenter haurire vijus es, oculis nunc & mente perfrue.

DE MANU. CAP. I.

Quae fuerint super manu hieroglyphica apud Aegyptios significata, quaeq; honos ei habitus ab ejus nationis sacerdotibus, Manarde mi, dicebamus, ea nunc in hunc modum, uti dicta fuerant, repetemus.

OPUS. CAP. II.

In protypis Artem. lib. 1. c. 44. Plurima manus acceptiones, cum in Dignis, tum in profanis. Artem ibi Manus & cor similia sunt. Manus apud Aegyptios sacerdotis operis in primis hieroglyphicum fuit, eaq; picta, sculptave, hominem aedificationis studiosum significabat: quippe qua in operibus faciendis plurimum iurum, cujusq; beneficio rerum artificia constant, & concepta in animo excogitationum imagines oculis subjiciuntur. Ut vero ait Hippocrates, in unaquaq; arte manus unusquisq; ad opus, quod facere destinarit, accommodat: Naturam enim ut ait Cicero, de dit homini manu multarum artium ministrat, Artemidorus conjector artes ex manu significari ea de causa dicit, quod earum opera artes exerceantur. Jam & oblatae in somniis manus si pulchrae formosaeq; sint, felicem rerum agendaum successum indicant, & iis praecipue, qui manibus opus faciunt, ut idem tradit Artemidorus. Et Pandaricum illud Olympiis celebratur Ode 4. χερσὶν δὲ καὶ ἤτορ ἰσὺν, ubi per manus opera, per cor audacia intelligendam interpret Triclinius observat. In sacris quoq; nostrae pietatis libris manus operis hieroglyphicum habetur, eo praesertim loco ubi Deus Moyse mandat, ut Serpentem caudam apprehendat manu Aetionem hic per manum significari tradit Philo siquidem nullo fieri modo potest, ut voluptates, quas per Serpentem significari alio commentario diximus, coerceri, opprimere valeant, nisi prius manus, hoc est, sinceros animi affectus, utpote rectorum operum ministros expediamus, & in omne pietatis ministerium promptissimas habeamus, atque ita demum arreptus intrepide Serpens virga fiat, hoc est, voluptas in disciplinam, quae per virgam figuratur, ut in Caduceo declaratum est, quamprimum habeat, atque ita absolutam veritatis cognitionem partim intelligendo,

Unde illud τὴν χεῖρα ἐγὼ τῶν ἁγίων ἐλάλησα. Et dicitur manus ad movere.

Matth. c. 6. Levit. c. 19.

Cap. 40. Cap. 53.

Ibidem.

patim experiundo, consequatur. Apertius vero manus opus est eo loco: Exodi 14. Et viderunt Aegyptios mortuos super litus maris, & manum magnam, quam exercuerunt Dominus contra eos. Hujusmodi significationem etiam Graeci veteres admiserunt. Nam Lacedaemonii sic invocandos deos exultimabant, ut manum etiam admoveremus, nostram scilicet operam addentes, neque enim eos aliter exaudire. In quam sententiam Salustianus Cato: Non vocis, neque supplicii muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordia te & ignavia tradideris, ne quicquam Deos implores: imiti infestis, sunt. Sed ut ad nostra redeamus. Psalm. 78. Deum exquisivi manibus meis nocte contra eo, quamvis apud eos, qui Hebraeos sequuntur, nulla hic de manibus mentio. Verum alii exponunt, manibus id est, bonis operibus, quae tamen nocte, hoc est, occulte, & in Dei tantum conspectu fierint. Nam & Assertor: Nesciat, inquit, lava, quid dextera agat tua. Dum atcollit: Moyse manus suas, vincitur Amalech. hoc est, ut ut interpretatur Adamantius, opera & actus sustulit ad Deum, non humi jacens, obrepensq; reptilium instar terrae applicitus, sed ad Deum porrectus, inq; caelum surrectus. Quodq; Levitico praecipitur: Manus ejus offerunt hostiam Domino, Theologi per manus opera interpretantur, κατ' ἐξοχὴν vero quamdam, manus Dei pro ipso accipitur Filio, per quem facta omnia ut Eucherius & alii pleriq; interpretatur illud Esaiæ: Omnia haec manus mea fecit. Sed longe manifestius alibi vates idem clamat: Embricium Domini cui revelatum est. ubi Theologi, ut apud Hesychium est, Filium dubio procul intelligi debere profitentur, Patri scilicet quod dicitur, quod ne cui ambigui relinqueretur, labores ejus pro nobis susceptos statim subjicit, vir extra omnium aleam divinissimus, ait enim: Labores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, ipse autem vincemur est propter iniquitates nostras, afflictusq; est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostra super eum, &

**A**lvore ejus sanati sumus. Psalmo sane 70. Donec annunciem brachium tuum generationi omni, qua ven-  
tura est. Theologi subiectam interpretationem huic versui memorant, potentiam tuam  
& justitiam tuam, id esse brachium: Ubi vero hostiæ salutaris brachium dextrum separari, darique  
muneri Sacerdoti præceptum est, Cyrillus, vel Adamantius potius, per hujusmodi brachium à vul-  
go separatam significari ait, Pontificem debere dextera quæque, hoc est, proba & honesta facere, ut  
qui tamquam lampas illucescit in atrio, exemplo reliquis esse possit, non opinione tantum, verum  
etiam operibus, quam quisque viam ad virtutem & pietatem ingrediatur: contra vero sinistra, hoc  
est, prava & turpia non antingat, vitæque sit omnino integra & inculpabili.

INNOCENTIA. CAP. III.

**E**uthymius, ubi de manuum puritate sermo fit in Divinis  
litteris, per manus actiones operationesque inquit signifi-  
cari: eo quod per eas opera fieri soleant. Earum autem pu-  
ritas dubio procul infontem ostendit: unde etiam abluen-  
darum manuum gestus innocentia signum est, quasi illas  
non contaminatas habere profiteamur. Antiqui enim  
quando contestari volebant se alicujus innoxios esse scele-  
ris, neque impuris se facinoribus immiscuisse, assensumve  
præbuisse, in multitudinis conspectu manus abluiebant, ut  
scilicet ex illa manuum munditia animæ idemtidem purita-  
tem indicarent. Inde Deut. cap. 21. ubi cadaver in agro  
casum quis repererit, ignorato cædis auctore, seniores ci-  
vitatatis, quæ loco ita polluto proxima fuerit, accessiri jubentur, & in deserta sterilique convalle vitu-  
la facere, super quam lavent manus: ut ita expientur & ipsi & civitas, populisque omnis absolvatur.  
Sic circumdaturum se altare Domini Psalmodigraphus vates profitetur, cum una cum innocentibus  
manus suas abluerit. Et Pilatus, cum iniquæ sententiæ crimen in Hebræos rejiceret, innocentiam su-  
am attestaturus, manus publice lavit. Datas autem homini manus ideo, ait Athanasius, ut ad rerum  
necessarium usum inferviant, & ad preces Deo porrigendas attollantur: atque, uti palam est, ma-  
nus est quæ cibum & alimenta omnia legit, condit, instruit, & ori admovet: manus est, quæ præcla-  
ra facinora in pugna vel discriminum conflictu facit, ab ea est scribendi commoditas & elegantia,  
quam Propheta honestavit, de Deo dicens: Calamus scribae velociter scribentis, quo scilicet divinæ  
vocis oracula exprimuntur. Manus sacra in fœderibus, & pietatis omne munus peragit, sacra-  
menta cælestia nobis subministrat, & Mytheria reliqua rite perficit & operatur: eam dignatus est  
Dei filius commendare, cum dixit, *Dexteram Domini fecit virtutem, dexteram Domini exaltavit me.* Ma-  
nus denique est, quæ omnia confecit, omnipotentis Dei testimonio, per Prophetam dicentis: *Non  
ne manus mea fecit hæc?* Manus est totius corporis propugnaculum, quæ dum illud totum defen-  
dit, totum comit, totum vestit, totum ornat, universæ ejus molis dominam se re ipsa profitetur.



*Sic præ-  
verbium,  
divinitus  
regni,  
à puritate  
veterum sa-  
crorum,  
tractum, ex  
Ilesodo in  
operibus.  
Mos anti-  
qua profi-  
tendi inno-  
centiam.*

*Manus  
functio.*

*Psal. 45.*

*Psal. 118.*

AUTHORITAS. CAP. IV.

**H**inc manus auctoritatemque & potestatem signatissime indicat, ut in sacris pietatis nostræ ca-  
nimus, in manu Dei esse omnium potestatem, & jura regnorum omnium, quo significato dictum  
à Psalmodigrapho, *Exaltet manus tua*, ut Theologi sunt interpretati. Jam apud Hieremiam: *Sicut lu-  
tum in manu siguli, sic vos in manu mea domus Israhel*, de summa Dei potentia. Et illud minime dissimu-  
landum, quod Poëta Cæcilius ait: *Deum quis non summum putet, cui in manu sit quem esse dementem ve-  
lit, quem sapere, quæ infantæ, quem in morbu injici, quem contra amari, quem averfari, quæ expeti?* Sic ad  
Terentiam Cicero: *Verum hæc non sunt in nostra manu.* Et Aruspices, nulla quamvis sanctiore imbuti  
disciplina, cum prændenti Vespasiano humana manus triclinio illata fuisset, & subter mensam subje-  
cta, præ sagium fuisse respondere, rerum potestatem ad Vespasianum aliquando perventuram. In Dei  
vero manu esse omnes fines terræ, sacra piorum vatum oracula testantur: qui fieri posset admiran-  
tium,

*Psal. 80.  
Jerem. 18*

*Sutton. in  
Resp. c. 5.*

*Cur aqua  
terra longe  
altior dica-  
tur.*

tium, ut aqua longe altior terra, ita suspenderetur, ne continentem omnem obrueret, quoquo versum circumfusa. Tameñ non defuerunt antiquorum ingenia, quæ natura fieri hoc commentarentur. Ptolemaeus quippe Almagesto, triginta se nescio quas stellas Arctico polo affixas deprehendisse proficitur, quæ cum sicca frigidaq; natura sint, vi sua repellant aquas, terram autem ea parte, qua illæ micant, ut sibi natura similem, & temperatura quadam à Saturni sidere copulatam exerant, & suspensam teneant. Alii Magneti hoc attribuunt, quo lapide tota illa pars, quæ ad Arcticum versa est, incurvata quodammodo comperitur, tantamque illi vim, dum se ad polum erigit, esse dicunt, ut universum terre corpus eodem trahat, atq; ita bonam ejus partem undis extare faciat. Alii alias atq; alias super hoc rationes comminiscuntur, concavitates subterraneas, ovalem figuram, protuberationes, & commenta alia ingeniose magis quam vere excogitata: quæ omnia si suscepti operis ratio pateretur, facile refelli possent, utpote quæ tam validissimis naturæ rationibus, quam hodiernæ navigationis exploratione, falsa deprehenduntur. Sed hæc illi viderint. Basiliius Magnus totum hoc ad Architecsum summi Dei sapientiam refert, admirationemq; omnem dirigere nos ad ejus providentiam adhortatur. Nam & apud Hieremiam Prophetam ipse rerum opifex clamat: *Vos igitur non timebitis, quos posui arenam terminum maris?* quasi nulla alia in re magis potentiam viresq; suas ostentaret. Ille enim cum abyssos circumvallaret, legem imposuit aquis, ne datos transiliant fines, signatisq; terminis coërceantur.

Jer. c. 5.

Fabius libr.  
11. languen-  
tem otio  
manum ha-  
bere sub  
pallio ait.  
D. Laertius  
in ejus vita  
E. tenacis  
atq; ex  
Theocrito  
in Chariti-  
bus.

## IGNAVIA. CAP. V

Expedita autem manus, & in propatulum prolata, ita opus, autoritatem, atq; potestatem indicabat: contra vero, nihili hominem, ignavum & otio desidiaque torpescentem significare si vellent, manus ejus in signum confertas effingebant: qui porro status ignavissimi nebulonis est, cum præfertim Anaxagoras ideo sapientissimus omnium animantium videri hominem dixerit, quia manibus instructus foret. Quod dictum Plutarchus in Moralibus repetit, neque dissimulat Aristoteles.

## FURACITAS. CAP. VI.

Apud autores aliquot invenias levam manum pro Furacitate positam. Nam Plautus, Perfa, ubi Sophocli discipula Pechni pueri manum deposceret, atque ille dexteram porrexisset, respondit ea: *Ubi illa aleva est furistica leva?* Ita & Catullianum illud intelligitur de Marrucino, qui manu sinistra non bene utebatur, sed in joco atque vino tollebat lintea negligentiorum.

## PLAUSUS. CAP. VII.

Plausum autem, lætitiæq; & gratulationis signum, manibus in eum gestum figuratis ut sese complodere viderentur, significare, theatra Romana, & Poëtarum pulpita sapius ostenderunt. Id autem in Sardanapali statua, quæ Tharsi erat, exprimebatur, cum inscriptione, quæ modis omnibus lasciviendum esse commoneret.

## IMPEDIMENTUM. CAP. VIII.

Complicatas vero manus digitis pectinatim insertis, adeo vetus illa religio impedimenti signum esse credidit, ut parturientium nixibus obstare, ne partum edere possent, quamdiu manus eo gestu tenerentur, perdita admodum superstitione persuasum habuerit.

## LIBERTAS. CAP. IX.

Tibi. Clau-  
dii & Julia  
Fiz numus.

Quemadmodum vero per manus ita complexas impedimentum significabant, sic per eas explicatas libertatem innuebant. Numus est Tib. Claudii Caesar in quo videre est sigillum, quod dextera



**A** dextera pileum tenet, lavam quam late potest discapedinatam exporrigit, cum inscriptione, LIBERTAS A U G. Quamvis vero pileus per se sit libertatis signum, manus ea tamen ita passa significatum adauget. Sedenim, ut de parturientium fascinatione per implexas manus dicebamus, ita contrarium est in numo Juliae Pia, ubi partus felicitas explicatur, in quo Venus laeva hasta innititur, dexteram expansam ostendit, cum inscriptione, VENUS GENETRIX. Romani enim genus à Venere, propter Æneam ejus filium, se ducere asseverabant, maxime vero gens Julia.

VENUS GENETRIX. CAP. X.

**Q**uæ quidem condente & dicante Julio Cæsare, templum erexit Veneri Genetrici, cujus Plinius, Tranquillus & alii meminere. Legimus & Cæsaris testeraam fuisse, Venus Genetrix: ut Sylla, Apollo Delphicus: Marii, Lardæus. Observandum autem, in numo scriptum esse GENETRIX per E media syllaba, prout veteres Grammatici scribendum monent, cum tamen genitor per i notandum agnoscant.



LIBERALITAS.

CAP. XI.

**E**st & illud frequentissimo Latinitatis usu dictatum: *Manus remittere*, liberalitatis & donationis significato, quo loquendi modo lufores præcipue utuntur: nam *Remittere manus*, est Condonare Colluori jaçtum, quem sua ipse manu damnosum fecisset, debueritq; ob id numeros exolvere. Hinc legere est in epistola Octaviani Augusti ad Tiberiũ: *Ego per didi viginti millia nummum, sed cum effuse in lusu liberalis fuisset, ut soleo plerumq; nam si quas manus remisi cuique exegisset, aut retinuissem, quod cuiq; donavi, piciissem vel quinquaginta millia: sed hoc malo, benignitas enim mea me ad caelestem gloriam effert.* Præcipue vero dextram liberalitatis & erogationis indicium esse voluerunt: utpote quæ, uti prompta est, & ad capiendum expeditissima, ita & ad porrigendum erogandumq; utilitissima. Unde Græci *δωρον* illud suum mensuræ de manu sumptæ vocabulum, de quo alibi locus, suos, deductum volunt, quod scilicet inde dona porrigantur. Sed quoniam tam liberalitatis quam libertatis significatum in dextera ponunt, hujusmodi disciplina longe melius sacræ nostrorum literæ prodiderunt: veteres enim Theologi, qui divinorum nominum significata perscrutantur, eam inesse vim in Dei dextera intellexere, unde pulchra, grata, lætaq; omnia provenirent, proprioque nomine Michaellem vocari. At Græcorum Theologia Michaelis vim in Deo eam esse dicunt, quam Mathematici Veneri dedicarunt. Psalmo decimo supra centesimum jubetur Christus sedere à dextera Dei patris, ubi Theologi per Sessum, Requiem & fruitionem divini imperii, & patri, & filio propriam, & honore parem intelligunt. In Dei vero dexteram, effusissimam ejus benignitatem interpretantur. Lævam demum Aram in Deo vim esse dicunt, unde fortia, dura, & castigantia procedant, idq; numinis Gabrielem appellatum, quod Astronomi ex Græcorum Theologia Martem esse dixerunt.

Manus remittere quid. Exat apud Sueton in Aug. c. 71.

Hebraice, fortitudo Dei.

VER, HYEMS, SOL.

CAP. XII.

**A** pud Græcos, Latinosque Poetas plerumque, reperimus centimanum Briareum, centimanumque Gygem: quin & Homerus Solem *ἐκατόνχερος* nuncupavit, quorum significata cum hieroglyphicon instar interpretentur, non importunum fuerit hic explicasse. Interpretes Hesiodi, per Briareum vernum tempus dici tradunt, ob herbarum, florum, & frondium copiam, quam affluenter adeo sumministrat. Per Gygem vero, hyemem, & ipsum centi-



Hom. Iliad. n. 402. Virg. Æn. 6. Horat. 2. Car. od. 17. Centimanum.

H h h

manum,



## PIETAS. CAP. XVI.

**A** Antonini numo pietas ipsa dexteram exporrigit expansam, læva donarium in subjectam aram porrigit. In L. Aëlii Cæsaris numo aureo, dextera sigilli eodem est gestu, læva donum tenet, cum inscriptione, PIETAS. Quod vero dictum est in Cynocephalo, passas in cœlum manus adorationem significare, videas id in Gordiani Pii numo, in quo sigillum est, passas hinc inde manus ad cœlum attolens, cujus inscriptio est, PIETAS. Aug. Et Jarbas apud Maronem dicitur:

*Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.*

Jam & Salomon Trecentis, non ignobilis S. Scripturæ commentator, sacerdotem, inquit, cum Sanctum BENEDICTUM pronunciant, nomen inquam id Sanctum XII literarum extendunt manus suas.

## SUPPLEX, CAP. XVII.

**A** Pud nationes aliquot invenias, rejectas post tergum manus, eas connexas, supplicem hominem significare. Eam formam in hujusmodi significato peculiarem apud Assyrios fuisse tradit Ammianus, ubi libro XVII. Antonius ab Ursicino agnitus in hostili acie, objurgatorio sono vocis increpitus, Proditor & nefarius appellatus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiliit Equo, curvatisque membris humum vultu pene contingens, eum salutavit, Patronum appellans & dominium, manus post tergum connectens, *ignose mihi*, inquit: & que pro criminis depulsiōne subsequuntur.



*Rejecta in  
tergum  
manus.*

## CAPTIVITAS. CAP. XVIII.

**S** Edenim apud Romanos hujusmodi species manuum post terga revinctarum, captivitatis nimirum indicia sunt, quod & Virgiliano confirmatur carmine:

*Ecce manus juvenem interea post terga revinctum*

*Pastores magno ad regem clamore truhebant,*

**C** & multis ubique terrarum monumentis, ex ære & marmore dedicatis, passim intueri licet. Ita lib. de Amicitia Cic. de eo, qui litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum dat manus, vincique se patitur, ut is, qui illusus sit, plus vicisse videatur. Talem Astronomi figurare solent, ubi ostendere volunt eum ab inimicis superandum, & in eorum potestatem redigendum, qui XII. Sagittarii gradu lucem auspiciatus fuerit.

## PACIFICATOR. CAP. XIX.

**Q**uæ vero species in M. Catonis Proprætoris numo cernitur, ubi victoria est sedens, manu exporrecta, pollice summissa, quod puto victoriam consilio partam significare, ut illud, quod a libi explicatum est, Romanos sedendo vicisse, huc accommodetur. Ille porro gestus in manu res compositas ostendit, qui habitus in statuis pacificatorum exprimi solet, ut in equestri collosa ex ære M. Aurelius, in area Lateranensis basilicæ visitur, de qua in Digitis.

## RESTITUTOR. CAP. XX.

**D** In alio Imp. SEV. ALEXANDRI AUG. numo simulacrum est læva hastæ innixum, dexteram porrigens, vola & digitis demissis, pollice pendente, in quo literas eas tantum inspexi, quæ RE-numus & S T I T U T O R dicerent, reliquas discernere non potui. Verum apertius in Gratiani numo porrigitur manus mulieri altero genuflexæ genu, cum inscriptione, REPARATIO REIPUBL.

## SALUTATIO. CAP. XXI.

**E**rat & salutationis indicium, dextera juncta dextræ, quod apud Varronem, atque etiam apud Callimachum ætatis habetur. Unde Virgilius in eandem sententiam Æneam inducit cum patre in Elysiis loquentem ita queri: *Cur dextera jungere dextram non datur.* In hunc sane diem mos hic perdurat, ut hospites & peregrinos, & quoscumque notos peregre venientes, dexterarum conjunctione salutemus.



Neque vero tantum porrectis in cœlum manibus adoratio fieri solita, sed & adversa manus ad osculum exposita, adorationis indicium est. Hinc illud apud Plinium, quandam esse in dextera religionem, quæ osculis averfa appetitur. *Qui adorant, inquit Hieronymus in Rufinum, solent manibus deosculari.* Unde Hæbrei deoscultationem pro Veneratione usurpant; ejusmodique loquendi forma per totam jam Italiam, ex quo Hispanos in dominationem admisimus, inolevit, cum prius id honoris non nisi in Pontificibus deberetur. Et nonnulli Catuli somnium de Augusto referunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. Alioqui, ut in Cynophalo dictum, sublata in cœlum manus adorationis indicium sunt. Apud Ciceronem Quæstionibus Academicis admirationis id signum est, ut dicitur: *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret: nec mirum, nam nunquam arbitrum contra Academiam dictum esse subtilius.* Pervulgatum vero est Catullianum illud in hanc sententiam: *Admirans, ait, hæc manus que tollens, Dii boni & quæ sequuntur.*

Deosculatio pro Veneratione, sicut ab Hispania vulgo introducitur. Suetonius in Aug. c. 91.

## CONSENSUS. CAP. XXIII.

Sublata manus, quid.

In militaribus vero allocutionibus sublata manus, consensus & approbationis hieroglyphicum est. Unde totiens apud Xenophontem, si quod propositum esset, scitum facere se profiterentur, manus tollere jubebantur. Sedenim, hoc ritu Hæbræorum prius institutum fuit, quod plerisque locis habetur, & Aaron Levitico, tollens manum, populo bene præcatus est. Ita nobis quoque faciendum imperavit Paulus: *Orate, inquit, in omni loco extollentes puras manus.* Et Tertullianus, ubi de oratione pro salute Imperatoris agit: *Illuc suspiciens (ait) Christiani, manibus expansis, quia innocua: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus, & quæ sequuntur in hanc sententiam.*

## FOEDUS. CAP. XXIV.

Manuum ad invicem porrectio & deosculatio. Relatum à Dion. Laertio, ex Apollodoro, in Solone.

Sed neque Pythagoricum illud prætereundum, *μὴ πειντὶ ἐμὲ αἰδέσθαι, non unicuique dexteram porrigendam, quippe non temere esse quæmpiam in amicitia familiaritatis; foedus admittendum.* Citat hoc symbolum in hanc sententiam Plutarchus eo commentario, quod de multorum amicitia conscripsit, & Solonis dictum illud in primis fertur, *Φίλους μὴ ταχὺ κτῆ, ἔς δ' ἂν κερήσαι, μὴ δ' ἀποδοῦναι, φίλους, Amicos, ne cito compares; quos autem acquisieris, ne rejicias, contemnas.* Mox vero adhuc est notis prætulibus, in admittendis in clientelam amicis manum porrigere exosculandum, quod firmum quasi foederis & conciliationis signum habetur. Observes etiam apud Ammianum, rerum gestarum libro supra xx. Nebridium, qui contra Constantium unus omnium jurare noluerat, metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant, ad Julianum profugisse, suppliciterque orasse, ut timoris levandi causa ei dexteram porrigeret Julianus: *Ecquid, ait, præcipuum amicis servabitur, si tu dexteram attingis meam?* Plutarchus in Catone Uticensi morem tangit osculandi manus Imperatoris apud Romanos, neque id quidem omnibus, sed paucis admodum honoris gratia concessum. Unde etiam in Divinis literis legitur: *Tua dextera me suscepit, quod ita interpretantur Theologi: Mos eorum est, qui operi alicui sint allaturi, dexteram porrigere, in qua Suis, Captivudo, agilitasque magis promptuaria, quam in leva.* Et Psal. LXXIII. *Tenuisti manum dexteram meam: i.e. optimi Assertoris instar manum meam apprehendisti, meque de cetero & servitute Babylonica eduxisti.* Alii sic exponunt, ut per texteram manum à Deo tentam, meliora ac laudabiliora opera intelligantur, quæ benigno Deus animo susceperit. In sacrificiis demum manuum impositio nunc benedictorum ministrabat, nunc peccatorum remissionem, nunc sancti Spiritus adventum, nunc expiationes, quas solo percipimus intellectu, ait Hesychius.

Manuum impositio nunc effectus.

## FIDES. CAP. XXV.

Quia vero fides in foederibus primum expetitur, Numa Romanorum Rex constituit, ut manus quæ fidei sacra facerent, ad digitos usque involverentur, quod fidei tutandæ indicium esset, cujus præcipue sedem in dextera esse docuit: vel, ut arcana in abdito habeantur. Porro fidem in manibus Arabes adeo colebant, ut foedus nunquam facerent, nisi sanguine ex vola juxta majores digitos eorum,

A eorum, qui scedus inirent, lapide quodam eliso, intinctoque inde flocco ac lapidibus septem, qui fo-  
rent in hunc usum comparati, illitis, suis interim Oratal & Alilat numinibus unicus invocatis. Agno-  
scit & Maro fidem per dexteram significari, quare Dido apud eum exclamat:

Enid. 1. 4.

— En dextra, fidesque

Quem secum patrios ajunt portare Penates.

Enid. 1. 3.

Atque hoc est, quod Achemenidi Anchises,

Dat dextra, atq; animum presenti pignore firmat.

Velamen vero illud, quod Fidei simulacrum, vel manus ipsa obtegerentur, album fuisse constat. Un-  
de Maro *Canam fidem* appellavit, ut nonnullorum est opinio, quamvis & literatissimi viri sunt, qui  
canam ideo fidem a Virgilio dictam putant, quod primum omnium templum Fidei fuerit a Roma  
Aeneae filia conditum; ut in fragmantis Pompeji, divino illo numine rerum opifice jam tum Romanae  
originis initio, quod futurum olim erat, praemonstrante: ut quod imperium ibi sine fine praeman-  
surum parabatur, fundamentum pietatis in fide jecisse tot ante seculis constaret. Horatius tamen ve-  
laminis albi mentionem facit, ubi dicit: *Et albo nira fides colit velata panno*. Id enim ad sinceritatem,  
quae requiritur in fide, indicandam excogitatum: a fide enim fucus omnis abesse debet, neq; ullo sub-  
terfugii calore candor ejus violari. Quapropter iuste magnanimiterq; Romani fidem hostibus etiam  
servandam rati, Cannensi clade accepta, cum Hannibal, quibusdam captivis redimendi se potesta-  
tem fecisset, fide ab eis accepta redeundi, nisi res confici posset, ea quam proposuerat conditione, do-  
lose illi unius diei iter progressi, simulato negotio in castra hostica redierunt: inde quasi sacramen-  
to soluti, tanquam liberi essent, securi confidentesq; Romam se contulerunt. Indignatus Hannibal,  
dum eos sibi dedi postulare, ipse etiam S. P. Q. R. factum aegerrime tulerunt, neq; ullis civium suo-  
rum precibus aut lachrymis vinci potuerunt, quin publice ad Hannibalem remitterentur. Sed quid  
vetustiorum male praveq; facta conquirimus, si recentioribus seculis dolosa hujusmodi fide dece-  
ptum Adelbertum Bambergae Regulum legimus, turpi nostrorum principium ignominia, quem Atto  
Maguntiae Archiepiscopus blanditiis pellectum, ad Ludovicum Regem capitalem ejus hostem at-  
traxit, juramento pollicitus se procuraturum, ut quemadmodum eum salvum de munitissimo, ubi  
erat, loco educebat, incolumem idem tamen reduceret. Cum itaque paulum extra portas prodiiisset,  
Atto coniectis in Solem oculis, iter longum & horam jam tardam caufatus, satius fore dixit redire,  
commodum ut corpus aliquo cibo curarent, itineris lassitudinem ita levaturi. Cui Adelbertus, nihil  
suspiciatus mali, non diffuculter assensit. Reversi igitur, sumptoq; jentaculo, dant se iterum in viam,  
ac simulatq; in Ludovici conspectu consistere. Adelbertus in manus Regis deditur: quo prodicionis  
Attonem audacter incusante juramento, inquit Atto, tunc plane satisfactum, cum te impransum edu-  
ctum, intro ut pranderes reduxi. Sed haec improba barbari hominis facta praetereamus, & ad fidem  
speculum esse contendunt: nam id quoque significatum habet fidei, additaque est erecta columella,  
ob fidei quippe tum rectitudinem, tum firmitatem. Multo vero manifestius duae manus junctae, fidei  
sunt hieroglyphicum: quod in plerisq; numis antiquorum observet, in inscriptionibus etiam additis,  
modo FIDES EXERCITUM, modo FIDES ROMANORUM. Sed hujusmodi manus junctae ad  
alia etiam extenduntur significata.

Fides cur  
cana dicta  
sit.Carm. lib. 1.  
od. 35.Hadriani  
numus.Trajani  
Adriani  
numus.

## FELICITAS. CAP. XXVI.

Quandoquidem alicubi simulachra duae dexterarum jungentia felicitatis hieroglyphica sunt, cadu-  
ceo praesertim opposito: rebus enim pacifice compositis, congruum est publicam privatamque  
subsequi tranquillitatem. In Hadriano numo tenet ipsa dea caduceum manu una, altera Imperato-  
rem apprehendit: inscriptio est, FELICIT. AUGUST. Ubi vero idem Imp. genibus quendam procum-  
bentem sublevare videtur, quid sibi velint junctae dexterae declarat inscriptio, RESTITUTORI GAL-  
LIE. Quod vero superius dexteram salutationis signum esse diximus, in numo qui TRAJANUS HA-  
DRIANUS inscribitur: Imperatorem ipsam videas dexteram Dei sedentis dexterae jungentem, cum  
inscriptione sub basi posita, ADVENTUS AUG.

Hhh 2

JU-

*Judicium  
& Principum  
statu.*

Sed & abscissa manus ipsa hieroglyphicum suum habere, quod minime fuit praterendum. Spectari enim solitas Thebis judicum statuas absque manibus, Plutarchus ait: & eam quae Principem referret averfis oculis, ut justitiam & à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. Nam Stratoclem & Dromoclidem quis iniquo animo non ferat, quorum sermo omnis cum de Reipublica negotio aliquo capeffendo, deque tribunalibus colloquerentur, ut se invicem ad auream messem invitarent?

## DEI VIS. CAP. XXVIII.

Sane Janum, de quo plura alibi, veteres bicipitem, sed absque manibus & pedibus effingebant, quadrato lapide ab exili basi in latum exurgente. Indicabat id Dei vim, cui, neque pedibus, neque manibus opus est, ad ea, quae jussu suo efficienda: utpote qui nutu solo totum potest mundum tremefacere, & ut apud Poetam, dicto citius tumida aequora placare. De statua vero Jani, quae numerum CCCCLXV. dierum digitorum gestu indicaret, suo loco dicitur.

## PROVENTUS. CAP. XXIX.

*Artem. l. 1.  
cap. 45.*

Quamvis vero ita veteres justitiam informarint, apud Conjectores tamen reperias virum agendis causis nobilem, judiciumque & leges fama optima consecrantem, qui plures se habere manus somniaverit, prospera expectare, quod id portendat & clientum, & amicorum, atque etiam pecuniarum proventum exuberantem.

## VINCULA. CAP. XXX.

*Artem. ib.*

Imperitis tamen, maleficis & sceleratis hominibus, id somnii vincula minitatur, multas scilicet manus ad eorum coercionem expediri. Sed quoniam incidimus in proventum,

*Hom. Iliad.*

succurrit id Psalmo CXVII. *Labores manuum tuarum comedis*, apud Græcos τὸν καρπὸν scriptum esse, quare bene periti quidam, *Frucluum* potius, quam *Manuum* reddere: καρπὸς enim, tamen non quidem manum, non palmam, sed juncturam palmæ cum brachio significat, ut apud Homerum legas Venerem à Diomede vulneratam *Ἰνὴν καρπῶ*, ubi non

*Nempe jun-*

*ctura ma-*

*nuum cum*

*s subito ex*

*Arist. l. 1.*

*de partib.*

*animal.*

*Virgil in*

*Buc. Ecl. 1.*

pars pro toto, sed locus lethalis, & convulsioni obvius de industria designatur, ad criminis atrocitatem augendam: pro *Fruclu* tamen passim ponitur, & multa inde hujusmodi significatum vocabula. Erit itaque sensus, fructibus suis vescetur is, qui timet Dominum, nec impius hanc tam culta novalia miles habebit.



## SPES IRRITA. CAP. XXXI.

Invenias & operum inefficaciam per præcisas manus significari, quæ vanas nonnunquam irritasque cogitationes, spesque hominum inanes indicant: quod ita scilicet opus ad finem, qui fuerat institutus, perduci minime possit: Et Mathematici nullius utilitatis & haudquaquam frogi hominem in lucem edi sub xvii. Geminorum gradu ostendere cum vellent, hominem eo loco utraq; manu mutilum pingunt, atque eum ignaviter consistentem.

## MINISTERIUM. CAP. XXXII.

*Dagonis*

*manus ab-*

*scisse.*

*1 Sam. c. 5.*

Sed longe alia de causa Mycerinus Aegyptiorum Rex, viginti colossos ancillarum circa filia cadaver circumstantium, truncis manibus, iisque humi ante pedes jacentibus erexerat: iis enim uxore manus absciderat, quod adulterii tam nefarii ministra fuisset: uti scilicet pater sceleratissimo exemplo complexu filia abuteretur. Quod vero in Divinis literis primo Regum habetur, ubi Arcam Domini Palaestini prædam abduxerant, & in Dagonis idoli sui templo posuerant, mane repertus Dagon prolapsus contractusque, abscissis manibus: interpretes loco hoc, abscissis manibus, intelligunt fore

**A** tunc præmonstratum, ut cum Domini nostri doctrina ad gentes pervenisset, idolorum manus abs-  
 scinderentur, hoc est, præstigiæ quibus mortales omnes eludebant, desitura essent, neq; ulla ulterius  
 decipiendi potestas demonibus relinqueretur. In hujusmodi fere significatum Levitico legas, ubi de  
 victimis agit: *Si non poterit manus ejus invenire, hoc est; si propter egestatem emere non poterit, si Levit. c. 22.*  
*pretium erogare nequiverit.* Alioqui, siderata, attrita, vel etiam abscissa manus neque non pedes a-  
 ctiones indicant depravatas: Studiosum quippe non inem, eorum tantum, quæ vel avaritiæ, vel su-  
 perbiæ spiritu suggeruntur. Quare David ita deprecatur: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus pec-*  
*catorum non moveat me,* diripientis scilicet aut violentis: superbi enim hoc est, avari illud. Eodem &  
 brachia significato accipiuntur. Nam ubi Psalm. 26. delinquentis hominis brachia conteri legitur  
 impurorum hominum brachia debilitata significari ait Origenes: quandoquidem ad nullum mise-  
 ricordia, aut beneficentiæ opus exercentur. Nam manus & brachium, inquit is, operis est indi-  
 cium. Sed eo loco Euthymius adimi perperam agendi auctoritatem, viresque confringi interpre-  
 tatur.

Artem. lib.  
c. 45.

**AVARITIA. CAP. XXXIII.**

**S**unt tamen qui hoc ad avaritiam pertinere censeant, interpretamentumque hujusmodi ex Theo-  
 critiano carmine mutuentur *ἡνίκαι δὲ ἔσθω κερδαίων, πρὸς δὲ ἔσθω καὶ λίπυ χειρὸς ἔχων,* & quæ se-  
 quantur in hanc sententiam. Neq; desunt qui manum tantum sinistram digitis compressis pro tena-  
 citate & avaritia pingant: nam & conjectores lævam lucri, & augendæ rei signum ponunt, quippe  
 quæ ad custodiendû magis idonea sit, utpote segnior, & tenacitati accommodatior. Ad hoc facit quod  
 Diogenes, ut nonnulli tradunt, dicere solebat, non esse tradendas amicis manus complicatas: quod  
 interpretantur benignitatem ad dendam comitati. Avaritiam & ille gestus in manu significat, cum  
 exporrecta capedunculam assimilat, quo gestu Philemonis Romæ signum vidi cum in altera volu-  
 men complicatum haberet, idque tenaciter restrictum, ut qui pretium sibi deposceret, non nisi eo nu-  
 merato librum exhibiturus. Ferunt enim eum Comædiarum scriptorem, ære gravi solitum lucubra-  
 tiones suas venditare. Inscriptio sanè erat ΦΙΛΗΜΩΝ. Apud Aristophanem jocus Concionatrici-  
 bus, ubi Phidolus deos exemplo ponit, quibus cum supplicamus boni alicujus gratia, eos supinam  
 manum porrigentes, non ut quid dent, sed aliquid accipiant. Hinc quoque Atheniensium in acu-  
 pandis lucris aviditas dicitur carpitur, *ἀπὸ τῆς ἀπείρας τῆν χεῖρα καὶ ἀποβήσεων,* manum etiam dum  
 moritur Atheniensis porrigit.

Aristophan-  
is jocus.

**SERMO. CAP. XXXIV.**

**P**orro autem orationem unamquamque tradunt ex manu  
 significari, quamvis alio loco prensam manu linguam id  
 facere dixerimus. Ea tamen differentia habetur: quod spe-  
 cies illa non orationem tantum, sed eloquentiam indicabit.  
 Manus vero unumquemque sermonem per se ipsa significat  
 quod una cum sermone manuum etiam motum expectimus,  
 ut ait Artemidorus: histriones enim vel celebres inveniatis  
 solæcismi redargutos, quod gestu manuum aliquando pec-  
 cassent, de quo alibi. Contra vero erant Hermea signa qua-  
 drata sine manibus & brachiis, solo quippe insignita capite,  
 eaq; præcipue apud Athenienses, sed in quorum medio virili-  
 tia etiam adsculpebantur. Sermonis hæc erant indicia, ut in  
 Pudendis etiam ostensum. Mercurii quippe ipsius vim ostendebant. Nam is & Cyllenius ideo voca-  
 tur, quod *κύλλης* Græci vocant eos, qui sine manibus sunt. Ostendit vero hoc, sermonē suapte vi pol-  
 lere, & sine manibus omnia conficere. Cur vero signa illa quadrata fierent, in quadra jugeris dictum.  
 Sedenim cum Aristotelis duplicem sermonis ponat intellectum, unum scilicet primæ intentionis, al-  
 terum secundæ, ut nostri interpretantur, sermonē illum qui per Hermea figuratur virilibus arrectis,  
 primæ dixerim intentionis quasi mente concepti: secundæ vero, qui per manus significatur; is enim  
 per vocis instrumenta expressus, opus quodammodo conficere videtur. Hic vero sermo plurimum  
 apud



Artem. lib.  
c. 45.  
Hermea si-  
gna.

apud eruditos aut per Dialecticam in angustias intruditur, aut per eloquentiam in latiores campos explicatur: unde Zeno Stoicæ disciplinæ princeps commentus est, per manum utrumque diverso gestu porrectam significare, quod quidem inventum cum manifestum sit hieroglyphicum, minime fuerat dissimulandum.

DIALECTICA. CAP. XXXV.

Dialecticam enim ostendere cum vellet, manum pingere solitus est digitis in pugnum compressis, angustias hinc scilicet & argumentorum brevitatem, quibus illa cohibetur, ostendens, quod simplex uniuscujusque rei qualitas tribus plurimum propositionibus comprehendatur, axiomaticè assumpto, & illatione, vel partibus his etiam brevioribus.

ELOQUENTIA. CAP. XXXVI.

Lib. 12  
Gestus con-  
ciatorum  
Pontificio-  
rum.

Eloquentia vero late diffusa patienti decurrens planitie, quaque liberit pervagata, per distictos digitos dilatamque manum ab eodem exponebatur. Reprehendit sane Quintilianus eos, qui orantes ulla in causa manum sub pallio continent, quasi res ignaviter agatur: nostri tamen instituti est, cum apud Pontifices inter sacra sermonem habemus, manus intra pallium cohibere, fragalique tantum pronuntiatione uti. Quoniam vero Theologi finiunt aliud orare esse, aliud adorare, status ad cultum, manus ita surrecta ad adorationem facere videbuntur.

PRECES. CAP. XXXVII

IN Hetruscis quoque institutis hoc gestu manuum ad preces utebantur, neque non in devotendis civitatibus, evocandisque diis: cumque Jovem dicebant, manus ad cælum sustollebant, ut eo etiam loco apud Virgilium est:

Æneid. 4.

Multa Jovem manibus supplex omisso supinis.

Sane, quod ad hanc rem facit, Polemonem sophistam legimus in Olympicis ludis, qui Smyrnæ omnem celebrabantur, inepti cujusdam actoris solæcismum manu factum reprehendisse, cum in exclamatione, *ὦ θεῶν*, manus ad terram protendisset. Cum vero *ὦ θεῶν* pronuntiaret, faciem ad cælum erexit. Sed quantum ad Jovem pertinet, eundem morem vetustissimo ritu apud nostræ pietatis Pontifices, observari videmus, quotiens enim vel DEUM, vel DOMINUM enunciant, gentem sanctam bonis verbis expiaturi, prosperaque & felicia mortalibus precaturi, manus sub eam locutionem supinis in cælum tollunt. Quinetiam *ὀψις θεῶν*, quod sacrificare est, etymologi Grammatici nonnulli dictum putant, quod qui sacrificant, præcanturve Deos, *ὀψις θεῶν τῆς χεῖρος*, manus quippe protendunt. In numo Gordiani Pii simulacrum est, quod Passas hinc inde manus ad cælum tollit, cum inscriptione ad rem accommodata, PIETAS AUGUSTI. Illud addam, antiquum præcandi modum notatu sub dio Pindarum posuisse, Olympiis, ode secunda, apud quem, *ὡς τὸς ἀσπίδος*, ob hanc causam inscribitur.

Gordiani  
numus.

DE PEDIBUS.

CAP. XXXVIII.

HÆc quidem manu super memini, Manarde, tibi diserverisse: sed quoniam Caprillis velle se de pedibus audire similia dicitabat, quæ super his à me tunc dicta fuerunt, visum est subjungere.

IRRITUM. CAP. XXXIX.

Hac, & sequentia  
sumpta ab  
Erasmo  
3. cent. 5.  
prov. 100.

Fieri minime posse aliquid, aut inconstans irritumve futurum, quod ceptum actumve fuisset, ostendere si vellent Aegyptii sacerdotes, pedes in aquæ superficie inambulantes pro hieroglyphico faciebant. Nemo enim est qui nesciat, nulla id humana ope ingeniove fieri posse: nihil enim magis irritum cedit, quam si qui plantas super aquæ superficiem firmare sibi persuaserit. Ad hoc respicit Cicero, cum libro officiorum tertio, fluxas, labiles & inconstantes Epicuri rationes esse dixerit, quippe quæ minus in solido consistant, quod aqua hærent, ut ajunt. Sunt qui elocutionem hanc, in hac causa mihi aqua hæret, rem nondum peractam significare contendant, dubiumque aliquid super-

Aesse, quod nondum fuerit explicatum, aut sibi re super adhuc dicendum esse, sumpto à clepsydris, in quibus aqua, temporis dati index, per horas stillatura statuebantur argumento. Et hoc esse quod ad Q. Fr. Cicero ita scribit alterius libri epistola v. *Quod idibus & postridie fuerat dictum de agro Campano, non est actum, in hac causa mihi aqua baret.* Ubi tamen damnat Epicurum, cum Ægyptiorum hieroglyphico videtur convenire: utpote qui argumentorum ejus infirmitatem omnino redarguit. Nam ingredientium unicuique anima, ut palam est, solo opus est, diceret Aristoteles, cui firmiter innitatur: id autem homini, ut pote graviori animali, neque in aere, neque in aqua conceditur, & ea de causa pedes suam habent nuncupationem, quod τὸ πῖδον, id est, solum sibi deposcunt.

*Aqua baret, quid. Nempe secundum.*

VACILLATIO, CAP. XL.

Cum Ægyptiaco consentit hieroglyphico quod Psalm. LXXIII. legitur, *Mei pene moti sunt pedes.* Græca lectio habet ἐσαλεύθησαν, quippe vacillarunt, sive potius fluctuarunt: maris enim turbatio, fluctuumque commotio, σαλεύω. Hic vero *Pedes* pro *Cogitatione* ponuntur, quæ scilicet animi nostri pietatem pedum instar regit, & sustinet. Pene igitur, inquit, cogitatione perversus, ac pene lapsus sum, ut crederem Deo nullam inesse providentiam, incertoque casu mortalia defluere, aut quid hujusmodi. Ita ibi legitur Psalm. xxxviii. ἐν τῷ σαλεύσει μου πόδας μου ubi si verbi maritimi & fluctuantis ratio est habenda, Latine dicemus, *Cum fluctuare capissent pedes mei.*

FUNDAMENTUM, CAP. XLII.

Contra vero pedes in solido constituti, jactum ostendunt fundamentum. Hinc apud Jurisconsultos legas, *Ponere pedem* pro *Fundamentum jacere*. Hinc illud apud Tullium De Finibus IV. *Et possidere Quid enim? sapientia ubi pedem poneret non habebat sublatis officiis omnibus.* Alibi, *Pedem ponere*, significat *Occupare*. In Deo autem pedes virtutis ejus firmitatem ostendunt, & solidi fundamenti stabilitatem, Esaia dicente: cap. 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Alibi pedes Dei, hieroglyphice accepti, humanitas Christi est: nam sicut caput Pater, ita pedes Filius, qui eo quod terreno mixtus est, divinitate ipsa inferior est. Quod vero scriptum est Deuteronomio: *Qui appropinquant pedibus ejus, de doctrina illius aliquid assequuntur*, sunt qui ex mysticis hæc pedibus abeundos intelligunt sanctos interpretes, & qui divinam prædicant sapientiam. At quod Psalm. 73. & 122. stantes pedes hieroglyphice ponuntur, mentis atque fidei stabilitatem significant. Nam contra de malefidis Propheta: *Cur claudicatis utroque pede?* Et Psalmographus Psalm 17. *Claudicaverunt aberrantes à semina.* Porro vitiatum pes, aut mutilus, aut intortus, in Divinis literis hominẽ significat, qui à recta divina institutionis semita declinat: quandoquidem *Pedes* pro *Actionum*, ut dictum est, progressu sæpe ponuntur, Theologice omnes hunc vitæ nostræ cursum viam appellare confecerunt, de qua David Psalm. 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, hoc est, qui dum hanc vivunt vitam, ea faciunt quæ lex Domini præcipit atque mandat.

*Et possidere hinc in D. C. C. Possessio pedum positio. Pedes in Deo, quid. Deut. c. 33. r. Reg. 18.*

PURIFICATOR, CAP. XLIII.

Si vero pedes altius in aquam merfos effinxissent, purificatorem significabant. Nam & alibi aqua & ignis in defæcationis significatum accipiuntur, quod rebus his labes omnis eluatur & eximitur. Hic vero de his sermo est, quæ lævi sint macula contaminata, quibus unda satis superque sit ad depurandum. Apud Horum legas fullonem hic significari, quod tantundem est: nam id est fullonis officium, ut res depurget, & munditiem vestibus inducat. Alii commenti sunt γαφέα pro γυαφέα apud Horum legere, ut scribam ex hac pictura commentarentur: propterea quod hoc à Mercurii similitudine descriptum apud Horum vulgatum legerant: sed non animadvertunt eo loco non ἔγυμῆ, sed ἔγγυ legi, quod exponi debet, ab operæ videlicet similitudine, ut scilicet gestus ille describeretur, figurareturque, qui fullonis est vestimenta pedibus in aqua pressantis.

*Fullonis officium*

DIVES AVARUS, CAP. XLIII.

Tantali vero species in aquam demersi, ramis fructiferis ad frontem usque, & ob oculos dependentibus, quos frustra carpere, & hanc haurire irritò conetur eventum, quam meliori patescat

*Tantalus in aquam demersus.*



Eiusdem  
sententia.  
Horat. l. 1.  
Seruus no-  
ni avarum  
quendam.

patefcatur interpretatione, quam luculentis his Petronii ver-  
bus?

*Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit  
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.  
Divitis hac magni facies erit, omnia late  
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.*



SERVITUS.

Artem. l. 8.  
cap. 50.

Apud Onirocritas pedes servorum indicia sunt: utpote  
qui totius corporis pondus sustineant, uti opera domi-  
nurique facienda servis incumbunt, & quæ perperam egerint,  
compedum supplicio puniuntur.

TRIUMPHATOR. CAP. XLIV,

Quoniam vero Regum triumphantium mos erat captivorum corpora pedibus conculcare, sub-  
jectionis signum, triumphabundum hominem per ita positum pedem Romana pleraque signa  
significant, eoque speciat versiculus ex Psal. 66. *Imposuisti homines supra capita nostra, hoc est, de nobis  
triumphum aliis concessisti.*

VIA. CAP. XLV.

Et in profa-  
nis, hinc il-  
lud τῶν  
σοδῶν  
ἐὶ ὁργῶν  
ἄδως,  
pedum vicia  
est via.  
Æn. lib. 6.

Ab officio quoque pedes in Divinis literis viæ perfectionisque significatum habent. Unde ple-  
rumque videas vetustis in imaginibus, Deum pingi pedibus intra nubes absconditis, quod fati-  
dici vates nostri volentes carnis à Deo assumptæ viam (eam Theologi nostri adventum dicunt) ar-  
canam, obscuram & incognitam fore significare, eam præferrebant speciem. Hinc Davides offusam  
ad divinos pedes caligenem canit Psal. 18. Sed quod idem alibi canit: *Pes meus stetit in via recta,*  
dictum volunt veteres Theologi: propterea quod non solum manus, sed etiam pedes pro actione  
progressive negotiorum accipiuntur. Et Levitico, ubi sacrificium fertur pro sacerdotum conse-  
cratione, pollices manuum & dexterorum pedum, hostiæ sanguine oblinuntur: dexteris quidem  
partes obunctas ponunt, quia bonorum hæ sunt operum indices, cum sinistra pro pravis accipian-  
tur. Nam & Maro, *dexteram*, ait, *esse iter ad Elysium; ad levam malorum exercet penas, & ad impia  
manu mittit.* Quod vero unctionis mentio facta est, ea sane vigoris, conservationis, & salutis af-  
secutionem significat. Unde etiam apud Gentes athletæ non nisi oleo delibuti certamen inibant.  
Non ungi vero, in Divinis iisdem literis desolationem, ruinam, & perditionem indicat. Sic in Agy-  
pto sublatis sunt una nocte omnes quotquot limina postesque intinctos Agni sanguine non habuere,  
ut Hesy chius ait.

SOLSTITIUM HYEMALE.

CAP. XLVI.

Solis cursum in hyemali solstitio significare si vellent Ægyptii sacerdotes, pedes duos compelli-  
bus implicitos, atque ita progredientes (nisi codex impressus mendosus est) effingebant, quod  
Sol tunc lentius, & quasi pedicis coercitus ingredi videatur. Sedenim hujus rei longe aliam pictu-  
ram esse diximus in commentario Polypi, ubi manuscriptos Horo codices, duos Polypos invicem  
colligatos, non pedes duos, habere monuimus.

VOLUPTARIII AFFECTUS.

CAP. XLVII.

In Solabilla  
Achilles  
præter ta-  
los.

Philosophi antiquiores, quiq; doctrinam eorum secuti sunt, pedes pro contemptissima parte po-  
nunt, esseq; in anima pedes ajunt voluptuarios affectus, Venereæ mollitudini mancipatos. Qui-  
que Achilles figmentum interpretantur, fuisse illum inviolabilem præter talos, qui Stygis aqua il-  
lino nequiverint, quod ea parte manu matris tentus fuerit, cum ab ea est fatalibus undis immerfus:  
ea autem parte saucium periisse, id sibi velle fabulam dicunt, quod fortis alioqui homo adversis cu-  
sibus omnibus animosus, nullaque fortunæ injuria dejectus, libidini tamen ita interdum succum-  
bere

**A**bere deprehendatur, ut inde sibimet exitium parat. Nam & Orpheus principem libidinis locum talis Avla-  
lum ait, sed idem mystice, uti suus est mos. In cœna Domini discipulorum lavantur pedes, ut scilicet  
cet ablutis animorum fordibus, ad Eucharistiæ donum mundi nitidique procederent. In Jacobi & *οὐκ ἀνα-*  
Efaū partu philosophatur Philon, firmissimæq; mentis, quippe optimi luctatoris, esse opus ait tenere *καύων.*  
calcaneum: nam id animum indicat, qui vitio dominetur. Calcaneum enim, ut alibi sæpe, infirmæ *ἰλλοῖς παι-*  
vitiōsæ que naturæ indicium est. *δὲ βῆσι*  
*προφανε, ἱρ-*  
*εὐσεβῶς.*

## FINIS. CAP. XLVIII.

**E**st etiam pes absoluti operis indicium: ad calcem enim dicimus, cum ad finem perventum esse  
vel operis, vel negotii, volumus indicare. Et Adamantius, ut alibi dictum novissimum in Deo  
nobis incognitum esse, apud Efaïam ostendi eo argumento dicit, quod Seraphin duo alis inferiori-  
bus Dei pedes obtegebant. *Usus est Ci-*  
*cero in li-*  
*belli de A-*  
*micita, &*  
*de Senellu-*  
*te.*

## INIQUITAS. CAP. XLIX.

**A**nguineos alibi diximus Gigantum pedes effingi, cruraque obtorta, & quodammodo deluxa-  
ta, propterea quod tota aberrant via, qui celo bellum inferre parant. Pedes igitur ita male af-  
fecti, iniquorum operum indicia sunt. Nam uti recti pedes quatuor animalium in Divinis  
litteris apud Ezechielem memorantur, ob eorum quæ in Evangeliiis habentur veritatem, ita retorti  
pedes de pravis dicitur ingeniis atq; maleficiis: non enim recte pedes dirigunt, diceret Ambrosius,  
qui posteaquam semel in viam redire, ad scelera mox & iniquitatem revertuntur, & tamquam Sus  
lota primo quoque tempore repetunt luti volutabrum, & ut Lucretius ait, *Idem Ma-*  
*cro. l. 2. c. 10.*  
*Recti pedes.*  
*Retorti.*

*Insatiabiliter toti volvantur ibidem.*

Sane apud Psalmographum, impiorum ambulationes obtortas esse, ambagibusq; circumactas, in-  
venies, *Psalm. 125.* *Lib. 6.*

## AGGRESSIO. CAP. L.

**I**n statuis vero pes lævus ante porrectus, aggressionis indicium est, quo ita firmato, gestum ajunt  
ad invadendum aptum: quod dexteri pedis agilitas ictum, quo quo versus quis incubuerit, juvet.  
Sinister enim sua quadam peculiari tarditate, totius est veluti corporis firmamentum, ac quasi cen-  
trum, circa quod alterius pedis alacritas & promptitudo verferetur exerceaturque, & quasi rotæ cur-  
vatura axi per radios innixa circum agatur, parti unicuique laboranti opem allatura: quod non  
ignoravit Maro noster, ubi libro x. Lucagus Æneam ferire parat: projecto nam pede lævo aptat se  
pugnæ. Hoc etiam in numis, ubi martis ultoris inscriptio est, sæpe comperias: nam & Philosophi  
consentiunt, motum à dextris partibus oriri. Atque ego Romæ in Mediceis ædibus pulcherrimi o-  
peris statuam observavi, quæ speciem hanc in aliquem invadendi, lævo projecto pede, præ se fere-  
bat. Militaris præterea disciplinæ Magistri commonent, si missilibus agatur, sinistros pedes ante ha-  
beri à pedibus: ita enim vibrandis spiculis vehementiorem esse ictum. At si res, inquiunt, agatur  
gladio, pes proferendus, ut propinquior dextera sit ad vulnus inferendum. Sed utcumque illi,  
apud Maronem tamen eodem ipso congressu, quem paulo ante dicebamus, *Militaris*  
*doctrina.*  
*stridium rotat acer Lu-*  
*Enil. l. 10.*  
*cagus ense.*

## REGRESSUS. CAP. LI.

**N**on erim tamen inficias, regressum dextero porrecto pede figurari: quia qui loco se moveat,  
necesse habeat à dextero pede motum auspicari. Ita signari videas numos *FORTUNÆ REDUC-*  
*culos.*

## IGNAVIA, VEL REQUIES.

## CAP. LII.

**E**t quoniam gestus ab histrionibus in primis observabantur, inde factum, ut hieroglyphica non-  
nulla inde desumpta sint, quale illud pro otio & desidia, pedem supra pedem statuere, qui gestus *Pes supra*  
in aliquot sepulcrorum imaginibus, sed pro quiete habetur. Sane Aristophanes cum otiantem medi- *pedem,*  
tabundumq; Euripidem describeret Acharnanibus, famulus ejus interrogante Dicaopoli an intus *quid.*  
esset



## DE CALCNEO.

CAP. LIII.

Calcaneum, quamvis sit pedis pars, à pede tamen, quantum ad hieroglyphica pertinet, separatur.

## SENTENTIA PRÆPOSTERA.

CAP. LIV.

Calcaneum quidam hieroglyphice accipere videntur pro infirma, falsa, atque præpostera illa ratione, qua nos vitia nostra excusamus, & nimium plus æquo nosmetipsi nobis indulgemus. Unde Deus Genesi ad Serpentem, qui voluptatis est signum: *Homo ipse tuum observabit caput, & tu illius calcaneum*, imbecillitatem scilicet mentis, quæ facile seducatur, & quicquid adlibuerit sibi permittat. Sive, ut alibi diximus ex Philone, calcaneum ea pars animæ est, quæ terrenæ adhærescit naturæ, in sensum, voluptatesq; prona & labilis. Ideoque Assertor noster discipulorum pedes lavisse dicitur, ut signum esset, dilatum esse maledictum illud calcanei, quod ab ipso rerum primordio Serpentis moribus patebat aditus. Nam alibi dictum invenias, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes & Scorpiones*, in hanc sententiam.

## TERMINUS. CAP. LV.

Interdum accipitur pro Actionis termino, sumpto à saltatorum more, in quorum saltu extrema pars vestigii, quam calcaneum presserit, signatur. hinc Psalmo: *Ipsi calcaneum meum observabunt*, quod proxime accedit ad id, quod inquit Ovidius:

*Sed scilicet ultima semper  
 Expectanda dies homini est, diciq; beatus  
 Ante obitum nemo supremamq; funem debet.*

Latinus quoque sermo Calcem accipit pro Termino. Sic videt Cicero calcem, ad quem decursus est: & ad calcem pervenire, & similia passim habentur.

## DE GENIBUS.

CAP. LVI.

Adam & Genua, sine quorum auxilio parum aut nihil agerent pedes, alterius sic altera pollicem opem res, & conjurat amice.

## IMPEDIMENTUM. CAP. LVII.

Est in his quoque significatum impedimenti, si poplites alternis genibus impositi figurarentur, qui quidem gestus nullo magico susurro simpliciter inter veneficia recensetur: eo enim partus detineri, & omnem actum impediri majorum religio, decretis etiam inhibitoriis, ut perhibet Plinius, testata est.



## MISERICORDIA.

CAP. LVIII.

Alterum genu misericordiae sedem esse antiqua omnis superstitio confitetur, ut memoriae auris, irrisionis nasus habetur: quamvis Thebanus Crates religionem eam, uti reliqua facere solebat, eluserit. Nam cum pro quodam Gymnasia principem supplica-

*Jocus Thebani Cratesis.  
 Meminit D. Laert. in ejus vita.*

**A**plicaret, procumbens coxam illius pro genibus attigit, principeque præ fastu indignante: *Quid, inquit, annon hæc tua sunt, æque ac genua? Apud Ciceronem legas oratione post reditum, ubi L. Pisonem acerbissime compellat: Tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, superbisimis & crudelissimis vobis à genibus tuis repulisti. Jam vero illa, Ad pedes jacere, & accidere ad pedes, eodem significata notissima sunt.*

## HUMILITAS. CAP. LIX,

**D**epositum genu humilitatis & superiorem agnoscentis indicium esse, nulli non immotuit. Hinc apud Horatium:

*Jus, imperiumq; Phraates  
Cæsaris accipit genibus minor.*

**I**n Divinis literis: *Reliqua mihi sunt septem millia virorum, qui ante Balaam genua non curvaverunt, & alibi: Fleto genua cordis mei, & hujusmodi pleraque, id uno verbo dicitur procidere: atque ita etiam nostri Psalmo 72. Septuaginta reddidere: Coram illo procident Æthiopes. Multo vero plus Procumbere, & Terram lingere ut ibidem: Inimici ejus terram lingent.*



*Epist. l. 1.  
epist. 12.*

*1. Reg. 19.*

*Ephef. 3.*

## PROCLIVIS AD VITIA.

## CAP. LX.

**N**eque negarim alicubi flectere genua esse hieroglyphicum ad terram, hoc est, ad vitia declinantium, & humanæ cedentium fragilitati, impurisque affectibus inservientium: adversus quos nisi steterimus, nullam ex hoste victoriam sperare possumus.

## LEVATI PARIENTIUM LABORES.

## CAP. LXI.

**V**isebantur olim in Capitolio ante Minervæ cellam signa tria Nixidia nuncupata, quæ genibus nitebantur: sed ea de causa ita dicta, quod parientium nixibus præfiderent, quod eo libentius retulimus, quod vulgata exemplaria Festi corrupta sunt, in quibus scilicet pro Nixidia, Noxii scriptum invenias. Sunt qui signa hæc Antiocho Rege Syriæ superato, à M. Attilio subtrahæta prodiderint, ab eoque Romam apportata: alii capta Corintho advecta, quæ ibi mensæ subjecta fuerint. Sed jam de manu, deque pedibus & genu, hæc dicta sufficiant. Videor enim mihi nullam, neque tui, neque publici commodi rationem habuisse: tui, quia Philosophum scio nolle defidibus & supervacaneis lectionibus detineri, eaque tantum lectitare, quæ ad sanam doctrinam facere videantur. In publica vero commoda me peccasse vereor: quia dum de his detinui nugis, boni aliquid ad alicujus ægroti salutem excogitasses. Quicquid tamen in hoc erratum est, totum id tua culpa factum, qui Cicadæ, ut dicitur, veterum scabere non dubitasti.

*Nixidia signa in Capitolio.*